

83
24



U. q. 17, 3



23

10.

SPECIMEN
JURISPRUDENTIÆ
ANALYTICÆ

ad intellectum L. 3. C. de hered. instit. & quæ personæ heredes
institui non possunt,

directum

QUOD

Divinâ Favente Gratiâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI.

*Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, &
Consultissimi,*

DN. JOH. OTTONIS TABORIS
JCTI. SERENISSIMI PRINCIPIS HASSO-
DARMSTADINI, CONSILIARII. INCLYTÆ UNIVERSITATIS
LUDOVICIANÆ CANCELLARII EMINENTISSIMI
& PROFESSORIS PRIMARII, Dn. Patroni Promotoris ac Præceptoris
æterno venerationis cultu prosequendi

Publicè examinandum suscipit

WEIPERTUS LUDOVICUS FABRICIUS

HASSUS.

A Diem Januar.



GIESSÆ HASSORVM,

Typis FRIEDERICI KARGERI & CASPARIS VULPIL.

ANNO M.DC.LXII.



Specimen Jurisprudentiæ Analyticæ ad
Intellectum L. 3. C. de hæred. instit.
directum.

I.

Sæpenumero audita est à præclaro JCo Ja-
cobo Gothofredo vox ista, conquerentis,
Exegefin analyticam planè in Scholis Jure-
Consultorum negligi, ita ut vix nomen Ana-
lyticæ Jurisprudentiæ quibusdam etiam Do-
ctoribus cognitum sit; Cùm tamen Veteres
illi Magistri in tanta historiarum & humaniorum studiorum
ignoratione & reliqua caligine, hâc viâ sola, intima Juris ar-
cana penetrarint. Quæ si negligatur, & intricata juris capita
segniter & oscitanter excutiantur, evenire aliter nequit, quam
ut diversæ interpretationes, & ex his variæ antinomix subo-
riantur: Quod utrumque incommodum ipsi sanè Reip. no-
xium, hac advigilatione perquàm commodè poterat præ-
caveri: Licèt autem hodie methodus resolvendorum textu-
um, sive typus Jurisprudentiæ Analyticæ longe concinnior
prodita sit; deferemus tamen hunc honorem antiquitati, ut
primum Experimentum, per consueta illi capita, expe-
diatur.

A

2. Assu-

2. Assumemus autem Constitutionem, quæ nobis hinc diebus forte à Commilitone oblata fuit, *L. Cum proponas. 3. C. de heredibus instituendis & quæ persona heredes institui non possunt.* Siquidem nec ex Veterum commentationibus, nec Recentiorum Explicationibus Ille lucem haurire potuit sufficientem: Duarenus autem, eumque secuti Perezii tradita ad. d. t. n. 4. non magis rem expediunt, ac ii, quos infra referemus Utiq; Cujac. in Comment. p. 731. lit. a. talem judicavit tamque difficilem hanc constitutionem, ut quæ maximè desideret, & ipsius exponentis accuratorem & studiosorum attentionem.

[Præmit-
te.]

3. Loco præmissorum autem aliorum, hic excutiemus, tum inscriptionem tum subscriptionem, è quibus nonnulla Lux Constitutionum præsertim de Jure publico agentium, expositioni affunditur. Inscriptio præfertur Authorem hujus Legis *Alexandrum Augustum*; tum supplican-tem, qui informationem ab Imperatore petebat. Per Alexandrum hic intelligendus, *Marcus Aurelius Severus Alexander* Mammææ filius. Concisus, Aurelius Alexander, & Alexander Severus, postea dictus. Qui anno superiore Imperium post Varium Antoninum Heliogabalum adeptus erat, annum agens ætatis decimum sextum. Sed optimis usus Consiliariis, Fabio nempe Sabino, Domitio Ulpiano, Ælio Gordiano, Julio Paulo, (Claudio Venato, Oratore amplissimo) Pomponio item Alpheno, Africano, Florentino, Martiano, Callistrato, Hermogene, Venulejo, Tryphonio, Metiano, Celso, Proculo, Modestino; Qui omnes Juris Professores fuerunt & Discipuli, Splendidissimi Papiniani, teste Lampri-
prid. in Vita Alexandr. cap. extremo. Adeoque meritò Wesenbec. noster in *parat. de Servitutibus n. s. p. 435.* scribit: Hi-
scem-

Acetemporibus præcipuos Jeros, de quorum responsis Pandectæ confectæ sunt, floruisse.

4. Subscriptio continet tempus, quo rescriptum istud Principale emanavit, nempe *VI. Kal. Maji Maximo II. & Aeliano Coss.* qui annus vulgò à Christo nato 224. numeratur. Gothofred. in Edit. in 4. Baronius tamen 225. constituit, Dionis sc. calculum utpote huic ætati propioris potius, quam Aurelii Victoris secutus in A. 224. §. 1. At Calvinius, Scaligeri calculum præferens, Consulib. istis assignat annum; 223. Aldstedius in Thes. Chronol. Annum 225. ut verum 223. ut vulgatum refert (224. sc. & 222. hoc ordine initiis Imperii Alexandri Severi assignans,) Etiam Petavius in *rat. temp. part. 1. libr. 5. c. 10. p. 294.* Annum Christi 222. initiis Imperii Alexandri imputat. Sed et in eo etiam differunt narrationes, quod in Constitutione nostra Consulatus secundus Maximo adscribitur. Cum Baronius primum; vel sine numero pronunciet, ut & Calvis hos Consules ita effert. *Coss. Maximus: Papitius Aelianus:* Enimverò habetur in fastis sub A. 209. etiam nomen Maximi, ibi: *Flavius Ap. & Albinus Maximus:* Et hunc Maximum eundem fuisse & secunda vice officium obisse ex eo fortè conijcere licet, quod primo hic loco & quidem sine cognomento ponitur, quasi retro nominatus plenius. Atq; ita in Chronologia (Theodosiano) subjecta, *Maximus II. & Aemilianus Consules* laudantur. Labittus Annum hunc Imperii primum facit: Arbitror quia anno primo nullæ constitutiones promulgatæ sunt, quas ille in suum rationarium transferret. Sed aperte fallitur, Nam *L. quod ex operis 2. C. de pignoratit. act.* lata est ab Alexandro Kal. Octobr. Antonino (Heliogabalo IV. & Alexandro) Imperatore nostro) Consulibus h. e. Anno 223. juxta vulg. postquam Heliogabalus eo anno die X. Martii occisus esset.

A 2

s. Est

4
5. Est ergo Annus hic Christi juxta vulgatam computationem quam & Gothofredus retinuit, 224. in quo ferè per omnes menses Alexander plurimas Leges condiderat, Januario duas: nempe *L. Fundum. i. C. de distract. pign. L. libera. 2. C. de inutil. stipul.* Februarii quatuor, Martio itidem quatuor, totidem Aprili quæ omnes Maximum Secundum subscriptum habent; ut & sequentibus ejus anni. In Codice etiam Gregoriano *libr. 3. p. 4.* duæ Leges ab Alexandro prolatae, Subscriptionem hanc habent: Maximo II. & Æliano Consulibus. Quod contra Baronii negligentiam notandum, qui Codicem Theodosianum frequentius quam Justinianicum adhibuit: Chronologia sc. Nomica quæ Codicis Theodosiani editionem hic ornat, in isto destitutus.

6. Atque *Hac de rescribente & rescripti Tempore:* Dicendum etiam aliquid inter præmissa de Testatore, de hærede instituto & substituto. *Testator* appellatus fuit Alexander, cognomento Equitis; postea dicitur *Miles* sc. Equestris, *Ein Soldat der zu Pferde gedienet* nec cognomentum istud, & indicium professionis vitæ, sine causa appositum fuit. Cùm jam ex temporibus Imperatoris Septimii Severi (qui paulo ante Alexandrum Imperii apicem tenuerat,) ejusque constitutione introductum hoc fuerit, in favorem militiæ, testamento libertatem servo communi hætenus posse imponi, ut hæredes Testatoris militis cogerentur partem alterius Domini comparare & servum illum libertate donare: quam Constitutionem Imperator Justinianus in *L. i. C. de Commun. serv. manumiss.* refert, libris Institutionum Martiani comprehensam fuisse: Subinde ergo, aliorum quoque Jctorum hanc fuisse sententiam, ut socius partem suam socio per Præ-
torem

§
torem vendere cogere, quo servus ad libertatem posset
pervenire.

7. *Heres institutus* nuncupatur Julianus. Id vero no-
men cum egregium sit adeo, ut non tantum Viris præfecto-
riis v.g. Opilii Macrini, Justiniani & aliorum Imperatorum
ministris præcipuis: Sed etiam ipsi Apostata Juliano com-
petierit; merito quæres, qui servo olim, & nuper manumisso,
potuerit convenire: Nam ut præter Philologos etiam Do-
ctores nostri observant: Nomina talia non conveniunt servis,
ad L. Gajus Sejus 23. ff. de manumiss. Arnold. Vinnius ad §. Et ita.
1. Instit. de eo cui libert. causa bon. addic. Sed rectè notat ibidem
Bachovius p. 59. potuisse manumissorem servo nomen tale
imposuisse: nempe cum liberum jam hominem designaret:
Quemadmodum & propria nomina Manumissores manu-
missis aliquando imposuisse constat *ex L. quæro 32. §. 2. de*
Testam. Tutel. & similib.

8. Meretur etiam observationem Clausula quæ in pro-
positione Vitalis non sine causa reperitur, Julianum sc. insti-
tutum fuisse *ut liberum*. Is enim terminus aliquando *πεχυλῶς*,
aliquando *ἀνεβῶς* sumitur: Accuratè & juridicè acceptus
facilem ex jure habet determinationem; Exponitur enim re-
duplicativè sive per quandam tacitam *ἀναδιπλωσιν* hoc mo-
do: Instituo Julianum ut libertum, nec aliter quam libertum:
Ita ut si libertus non sit, nec ipse hæreditatem capere possit,
pro instituto non sit. Sic in *L. Ausertur 46. de Jure fisci*, dicitur
quis institutus *ut filius*: i. e. non aliter institutus atque si filius
fuerit: suppositus autem declaratus, amittit hæreditatem *L.*
Neg. s. C. de Testament.

Alibi hæc clausula sic effertur: si quasi filium instituerit,
L. si Pater 4. C. de hered. inst. Differre autem videtur ab hac e-

A 3

nuncia-

6

nunciacione nuda liberti mentio, quæ reduplicativè exponi non potest, veluti *Fortunato liberto meo, do Lego, L. ex h. verbis 7. de Testam. milit.*

9. Etiam illud dignum inquisitione: Quid Imperator significet illa distinctione: *Si Testator verba substitutionis ad Jus retulit*: Cujac: ea Verba sic interpretatur Ad id quod in Jure ipso, in re ipsa, & in Veritate est: Tunc enim ea Verba quoque interpretamur *secundum Jus* & *secundum rem ipsam*. Accurs: planius & sine intricatione: Ad Jus, id est eam significationem, quam fecit Jus §. *ult. J. de Vulg. & pupill. substit.* ut sensus sit: si certi simus de Voluntate testatoris qui suam Voluntatem Juris dispositioni submisit, & Verbum hoc (potuerit) ad juris permissionem retulerit: decisionem per se hoc modo patere & sequi, uti subjicitur. Multum enim interest conditio facti an Juris sit, *L. multum 21. de condit. & demonstr.* ut infra pluribus dicetur, Nam ut cætera taceam, conditio facti plerumque est casualis & fortuita: Conditio autem Juris ipso jure tacite inest, ex jure ipso venit, non ex facto casuve fortuito, ut ipse Cujac. explicat *in Juliano ad d. L. 21.* Quæ licet ab homine exprimatur, tamen Juris manet, & ab ipsa Lege esse intelligitur *L. 3. de Legat. 1. Mantica de Conject. ultim. Volunt. libr. 10. tit. 5. n. 5. Vers. Secundò.*

Scindo.

10. Præmissis ita nonnullis præcognitis, sive protheorematibus, antequam sensum textus repræsentaret Veteres, scindendum illum, secundum & per partes resolvendum eum esse censuerunt: quemadmodum Apostolus Paulus Timotheum suum, jubet *ὁρθοτομεῖν*; rectè lecare verbum veritatis, 2. *Timoth. 2. vers. 15.* (utcunque non nesciam, Alios ea verba non tam ad objectum, sive verbi interpretationem, quam ad subjectum, sive diversitatem dispensationis pro subjectorum diversitate, referre. *vid. Dn. Gerhard. de minister.*

nister. Ecclesiastic. §. 189. Alii certè utrumque subaudiunt v. *Glossum Philolog: Sacra lib. 5. tr. 1. 1. c. 2. p. 382.*) Ex ea enim analyfi haut dubiè, commodissimè & planissimè cujusque legis sanctionis sententia emergit.

Hanc sectionem sive analyfin & resolutionem; ut clarior existat, proponemus in Schemate: *exemplo Imperatoris S. ult. I. de gradibus cognationum:* Proponitur a.

Problema sive casus, qui iterum continet &

1. *Factum:* Alexander Testator, Julianum ut libertum suum heredem instituit, eique substituit Vitalem Militem vulgariter, si hæres esse vel noluerit vel non potuerit.

2. *Eventum:* Post mortem Testatoris apertumque Testamentum,prehenditur, Julianum illum non fuisse solius Testatoris servum, adeoque nec libertum: sed servum communem, defuncti Alexandri & simul fratris ejus Zoili.

3. *Quæsitum.* *Ἐπερωτα;* Quæritur enim, an propter hunc Eventum, quia Julianus non potest succedere ut Libertus, cum Libertus non sit; nec fieri potuerit, altero Domino invito; an Vitalis statim ex substitutione admittatur?

Generica: Esse scilicet quæstionem potius facti quam Juris: Hære enim difficultatem in dubia voluntate & mente Testatoris; An in unum an in omnem casum Julianum hæredem instituere voluerit.

In notal. 3. tum

Resolutio ejusdem tum

Specifica & distincta. Nã aut pro-

In unum tantum casum, ut libertum suum, hoc est ut talem qui sibi non alii hæreditatem adquireret: Et tum detecto testatoris errore, substitutus ilicò admittitur, eique hereditas delata censetur: Evidens enim est Julianum jam servum declaratum, non sibi sed alii hereditatem acquisiturum: Quod cum sit contra mentem & sententiam Testatoris, qui nulli alii quàm instituto aut substituto bona sua acquiri voluit: Meritò rejicitur & declinatur. Porro cum id quod Testator in primo herede volebat, irritum sit, rectè ad secundum heredem bona deferuntur *arg. L. nec apud 7. C. h. t.*

bari



bari po-
test, Te-
statorē
voluisse
Julianū
institu-
ere

In omnē
casum
juxta
disposi-
tionem
juris;
Hoc v.
posito

8
I. PRÆMITTITUR jus ipsum: Nempe Ver-
ba Institutionis ex Juris dispositione
sic interpretanda esse; si neq; sibi (for-
te manumisso interim,) neque alii, pu-
ta Domino suo, à quo nondum manu-
missus fuit, hereditatem acquisierit

Nolit adire, forte ut agrè faciat

Zoilo qui cum pro sua parte
nō vult manumittere; Licet
enim aliās servus nolente
Domino hereditatem adire
nequeat (ne ipsum sc. ari a-
lieno invitum obstringat *L.*
3. C. de pact. junct. L. filiosf.
& §. 1. de Procurat.) Licet et-
iam ex adverso cogi possit
ut adeat: Hoc tamen casu, u-
bi ut libertus institutus fuit
nec absolutè unius servus
est, nolle potest *p. L. pen. C.*
de Jure delib. quemadmo-
dum & filius *L. filia. 16. de aur.*
& arg. leg. Hoc ergò casu
substitutus etiā vocabitur,
& Dominus excludetur.

*Velit adire & Domino gratifi-
cari potius quàm extraneo:
Tum vulgaris substitutio
expirat L. post aditam. C. de
impub. & al. substit.*

Summar.

II. Ex his apparet summationem Salyceti & aliorum
veterum nimis concisam esse, cum eam his verbis repræsen-
tant: Substitutio vulgaris facta servo communi & instituen-
tis, tanquam liberto, illo non adente (*sic enim textus ejus Edi-
tionis supplendus est*) convalescit; adente verò evanescit.

Nescio

Nescio an melius habeat summarium Alexandri, quod tamen in corpore Gothofrediano glossato prælatum est, et ita habet: Substitutus vulgariter Servo Testatoris & alterius, quem Testator tanquam proprium libertum instituerat, admittitur vel repellitur, secundum quod de mente Testatoris fuisse probatur, Nec usq; placet summa Donelli ad hanc l. n. 1. quæ ita habet: Cum testator servū heredem instituit (quod de eventu tantum verum est, non de forma instituendi) & nisi heres esset, & aliquem substituatur (testator geminum casum disertè expresserat) Servo jussu domini hereditatem ad eunte, quæsitum est, (Imò ante aditionem Vitalis de jure Imp. constituit) An substitutus excludatur; quasi deficiente substitutionis conditione: (Imò quæstio planè aliter à Vitali formata est, & quidem ex alia etiam ratione, ut mox indicabitur)

Nobis in summa hoc dicere voluisse Imperator videtur: Si quis aliquem per errorem ut libertum suum instituit, & illi alium vulgariter substituit, & institutus postea servus communis inventus est: *Si quidem* Testator substitutionem tantum in unum istum casum fecit; institutio servò repertò, ilicò locum & effectum habet substitutio: *Si verò in omnem casum*, etiam juris, substituisse probetur: Requirendum est an institutus adire velit nec ne? ut hoc casu substitutus succedat: Illo excludatur.

12. Nuper Nonnemo in Resolutionibus suis, quas inscripsit pag. 311. casum sic figuravit, Titius inquit: (Nomina peregrina gratis substituens, cùm genuina ab Imperatore ipso relata sint) Sempronii servum (Atqui Iulianus nequaquam fuit Zoili solius servus, sed Alexandri Testatoris opinione proprius, revera utriq; communis,) heredem instituit: Etsi Titius non erit (foret) Cajum (imò Vitalem militem) substituit, servus jussu

B

Domi-

Casumq;
figura.

Domini adit hereditatem (Id verò nullatenus memoratur
 in extu contigisse, neq; factum erat, alioqui nō fuisset dubita-
 tione ulteriore opus) Quæritur an substitutus excludatur
 (Imo quæstio ab Imperatore è contrario sic concipitur: Q.
 An Vitalis ex substitutione admittatur) *re.* Dist. Aut Testa-
 tor, qui servum instituit, scivit servum esse aut liberum eum
 putavit: (Hæc distinctio est Resolutoris non Imperatoris,)
 Priori casu substitutus excluditur prorsus (Nèpe eo casu quo
 se Zoilo unicè submittit) Posteriori vero casu (substitutus iste)
 cum servo simul ex æqua parte admittitur. Hæc ille: Donelli
 erroneam aplanè à Constitutione & casu præsentis alienam
 expositionem n. 1. & seqq. sequutus: quæ magis §. ult. I. de vulg.
 subst. veniit: ubi magna diversitas tùm circa subjectum (he-
 redem institutum) tùm circa modum instituendi occurrit: ut a-
 gno diversam quoq; decisionem diversis casibus aptatam fu-
 isse, mirum videri nō debeat. *Quæso autem qua parte hujus con-
 stitutionis aliquid habetur de hereditate partienda: cum substi-
 tuto omnib⁹ propositi thematis casibus tota hereditas aut adima-
 tur aut attribuatur: Conf. inf. h. 19.* Viviani quidè casuatio pau-
 lo melius habet: neq; tamen omni errore vacat, sic enī orditur:
 Alexander miles & Zoilus (addere debebat, quod textus de-
 clarationis gratiâ addit & rem valde illustrat, frater ejusdem)
 habebant servum communem, Julianum (dictum) Alexan-
 der credens Julianum istum esse libertum suum, primum eū
 heredem instituit & ei Vitalem substituit hoc modo: *Si Juli-
 anus heres nō erit, Vitale substituo.* Decessit Alexander: Postea
 apparuit Julianum fuisse servum Alexandri & Zoili: Quæ-
 ritur quid his Verbis substitutionis significetur, vel qualiter
 substitutus admittit debeat: *re.* Aut *vult* Testator per Juli-
 anum alii hereditatem acquiri, cum credebat eum liberum,

aut noluit. Primo casu non admittitur substitutio, Secundo casu sic, (sc. admittitur:)

Cujac: in recitat: C. ad h. t. p. 731. Talem ponit speciem: Miles servum quem cum fratre habuit communem, scripsit heredem ut libertum suum (his verbis: *Julianus libertus meus heres mihi esto*) eiq; substituit. hisce Verbis: *Quod si Julianus hereditatem meam noluerit aut non potuerit adire, Vitalis mihi heres esto*. Quæritur cum Julianus (ille semper Stichum appellat) institutus sit, ut libertus, nec tamen sit libertus defuncti, an repellatur ab hereditate, & locus fiat substituto, *℞*. Imperator *disting*: utrum Testator circa factum, aut circa jus erret: Si errore ductus, libertum suum esse credidit, nec per eum ad alium quenquam, cujus juri forte postea subijceretur, hereditatem suam pervenire voluit, ita ut non fuerit institutus, si nosset servum communem: Hoc casu Imperator verba defuncti (*si hereditatem non adierit vel adire noluerit*) ex voluntate ejus ita interpretatur, ut cum institutus per conditionem suam, sibi acquirere hereditatem nequeat, substitutio nihilò locus sit: Quod si ea verba retulit ad Jus; ea etiam interpretamur ex Jure: nempe hoc modo: si neq; sibi, (*forte manumissus*) aut Domino suo hereditatem adquisierit. Et ideo si nolit adire hereditatem, ne jubente quidem Domino; substitutus veniet, quia extitit casus substitutionis. Si adierit; substitutio vulgaris expirat. *Hæc est casuatio Cujacii cōtrādictor. emissis iis quæ declarationis causa interjecta fuere*; congruit specificatio Gilkenii in comment. ad hanc l. 3. n. 1.

14. Nos Ita casum ad nostra tempora accommodatum, non fingi sed planè formari posse arbitramur. Erant tēpore Alexandri Imperatoris, *seculo P. C. N. circiter 223*, fratres duo, unus Alexander, alter Zoilus dictus: Creverant illi

amplā atq; adeo luculētam hereditatem, ut numerare pecus non possent, hoc enim pauperum est: Unus ex fratribus, Alexander dictus, militiam sequebatur, alter forte familiam curabat: Alexander cū extrema sibi imminere haud dubie ex vulnere aut alia ægritudine, deprehenderet, (*vix enim antea hoc Genus hominum de supremis cogitare solet antequam ad extremam redigatur*,) Testamentum condit, & in eo servum suum, quem paulò ante (*si dudum ponere id factum velis, per me licet*) manumiserat & Julianum dixerat, arbitratus eum suum proprium & soli atq; unicè debitum servum esse, heredem instituit. Enimverò cū sciret multa contingere inter mane & vesperam posse, ita ut libertus jam suus Julianus aut ex aliqua causa nollet, aut non posset hereditatem adire, ipse verò fratri haud dubiè infestus (*utpote quem primo aliàs loco, si vim & instinctum natura sequi voluisset, instituere debuisset*) alii potius amico & commilitoni etiā, bona sua relinquere desideraret, Vitalem militem secundo loco heredem scribit, & substituit: Quid sit? Testatore mortuo cū jam adeunda esset hereditas, Zoilus se dispositioni fraternæ opponit, demonstratq; Julianum illum non propriè servum Testatoris fuisse, sed sibi cum illo communem, (*forte quia divisio familia nondum processisset, vel nondum plenè peracta fuisset vel Julianus iste in divisionem non venisset*) Vitalis heres substitutus, ne gratis litigare teneretur, cū hereditatem luculentam temere omittendam non censeret: Rogavit ab Imperatore consilium quid sibi faciendum arbitraretur, & quid de juris tripode sperandum?

Imperator Alexander respondet: prius de facti & voluntatis quæstione sollicitum esse debere Vitalem, tum enim juris quæstionem in expedito futuram; Nam si hoc probari possit
(forte

[v. Virgil.
Pinguis.
99. Sa-
xon. n.
16.]

(forte, ex instrumentis aut quotidiana compellatione aut tractatione. *arg. l. ult. C. arbitr. tut. l. neq. professio. 5. C. de testam. junct. declarat. l. Publica. 26. §. ult. depos.*) Testatorem Alexandrum Julianum istum habuisse olim ut servum proprium & sibi unicè debitum, quem ideo solus etiam libertate donaverit, Testator autè erraverit, siquidè Julianus servus comunis sit, adeo autè tempore Alexandri integram libertatem recipere nondum potuerit, *jam extitisse conditionem substitutionis*, siquidè certum sit, hereditatem ad fratrem delatum iri, licet illi testator bona sua nullomodo obvenire voluerit: Enim verò si eares dubia sit testatorem sc: certo (licet per errorem) statuisse, Julianum ad se solum olim pertinuisse, ac postea sui solius libertum esse; adeoq; verba, *si non potuerit*, eò referenda sint; Tum verò nondum dici posse conditionem extitisse: sed requirendum prius esse, an documentis illis servitutis communis Julianus acquiescere & Zoilo tanquam soli superstiti Domino submittere se velit nec ne: Hoc casu Julianus pro parte certe ab Alexandro *Condomino*, manumissus, cum aliquam contradicendi causam habeat, potuit recusare aditionem, quamvis Dominus, quem nondum in solidum agnoscebat, illam urgeret atque imperaret: quâ recusatione interposita, simul substituto locus fit. Priori autem casu, si Julianus bonâ fide agnovit & fassus fuerit, aut convictus se etiam pro parte (*& jam mortuo Alexandro in solidum*) ad Zoilum pertinere, adeoque jubente Domino hereditatem Alexandri fratris adierit, substitutio expirat, nec successioni ulli ex causa substitutionis locus est.

15. In lectione hujus constitutionis duo potissimum *Perlego.* dubia occurrunt. Primum *an in Vers: post mortem.* adhibenda sit cum Contio particula Si, ut sic legatur. Post mortem autè

Testatoris, si Julianum servum communem fuisse apparuerit : An verò cum Gothofredo omittenda sit ? Arbitror eam rectius omitti, siquidem particula cum, non regit etiam versiculum post mortem, sed in prima periodo desinit; Casus enim, ut supra Thes. 8. indicavimus, exponit 1. Factum Testatoris, 2. Eventum 3. quæsitum: Tum demum subjicitur distincta decisio: Eventus autem ille unicus narratur, nec opus est particula distinctiva Si, Quæ etiam non satis congrueret sequenti particule ante, &c. Alterum dubium non est magni momenti, cum quidam pro *admittaris* legunt; *admittere-ris*; Illud tamen meritò præfertur.

De Causis.

16 In Ætiologia discernemus rationes veras ab objectionibus. Quod rectè nos Veteres monuerunt. Illæ enim rem ipsam, sive principalem decisionem concernunt, Hæ circa rem vagantur vel decisionem impugnant. Decisio hæc erat. Videndum esse an Testator verba sua (*si non potuerit vel noluerit*) ad jus, an ad factum retulerit; ut priori casu substitutioni statim locus sit, Posteriori tum demum, si servus adire noluerit, Nimirum (ut dubitandi causam præmittamus) putabat Vitalis, ex eo solo quod appareret Julianum servum esse, se statim ex substitutione admittendum fore, siquidem ex toto Testamenti contextu appareat, Testatorem noluisse fratri Zoilo hereditatem obvenire; sed eam aut ad Julianum aut ad se pertinere voluisse; siquidem Julianum ut libertum instituit; Et si is nollet aut non posset adire, se substituerit, Atqui Julianus cum Zoili servus deprehenditur, sibi eam acquirere nequit; Zoilo autem, per Julianum, Testator eam acquiri noluit, Ergo indistinctè & incunctanter ad Vitalem substitutum ea pertinebit; *Hæc fuisse videtur dubitatio;* Cur autem Imperator in voluntatem & sententiam Te.

am Testatoris penitus inquirendum esse statuerit ratio hæc est: Quia in decidendis ejusmodi quæstionibus testamentariis voluntas testatoris omne momentum facit, *L. in conditionibus 19. ibi in Conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditiones. de Condit: & demonstrat: L. si cui legatum. 29. v: neque enim. Eod. 10b: de l. Castell: de conjeçt: ultim: volunt: c. 8. n. 17. ubi plurima loca accumulatur.* Itaque inquirendum merito, utrum conditio in verbis (*si ex aliqua causa primus heres hereditatem meam adire noluerit vel non potuerit*) facti an Juris sit; Inter quas multum interesse monet Julianus *In L. multum interest 21. de condit: & demon.* Exemplum est *in L. quedam 7. §. 1. ibi: in illis que non juris sed facti sunt. de jure Codicill.* Itaque si is nullo casu voluit hereditatem ad fratrem pertinere, ita facienda est interpretatio, ut substitutus potius admittatur; Si autem verba ista *ad jus* referantur, neque hæc voluntas obstinata forte ex odio fratrum internecino vel aliis documentis ostendi possit: Tum verò ad institutum respiciendum, & requirendum, an is adire jussus à Domino, velit an recuset: ut hoc loco substitutus admittatur, illo excludatur.

Ratio respondendi in eo posita est: Quod ex sola liberti appellatione non efficiatur apodicticè & necessariò; Testatorem firmiter credidisse Julianum unicè suum libertum esse, eumque nullo casu hereditatem ad fratrem pertinere voluisse, arg: L. ex iis verbis 7. C. de Testament. milit Sæpe enim Testatoribus (in feralibus angustiis imprimis constitutis) falsa demonstratio in heredibus instituendis aut legatis relinquendis excidit. *L. falsa 33. De Condit. & Demonstrat. quæ propterea non vitiat dispositionem d. L. 33. junctâ, L. Demonstratio 17. Eod.* Nec ea quæ demonstrationis causa adjiciun-

tus

tur statim conditionem inducunt, *L. euidam 96. de legat. 1.*
Itaque in specie hujus *L. 3.* emergit Voluntatis quæstio: U-
trum Testator, si scivisset Iulianum servum communem esse,
institutus eum fuisset nec ne? *Cujac. d. loc.*

17. Nunc rationes quarundam propositionum spe-
ciales assignabimus: Quæri enim potest, cur in primo mem-
bro non etiam exploretur prius voluntas servi, an adire velit
vel nolit,? Et responderetur: Quia cum quis heredem aliquem
instituit ut libertum suum, (*reduplicativè, ut sic dicam*) h. est.
non aliter institutus, quàm libertum, sive plane non institutu-
pus si libertus nō fuisset, sive nisi libertum credidisset: Omnino
inutilis est institutio: Planè ac si quis aliquem heredem insti-
tuit, ut filium (qui postea supposititius deprehenditur) *L. ne-
que 5. C. de Testament. ut filium, inquam, seu quasi filium L. 4.
C. h. quem substitutus non fuisset, si novisset subjectum seu
supposititium, Quo casu institutio itidem non valet, d. L. 4. &
5. junct. L. 1. §. ult. C. de Carbon: Ed. sed supposititio deprehenso
(quia nemo substitutus est) fiscus hereditatem aufert tanquàm
indigno, *L. Aufertur 46. in pr. de jure fisco, Cujac. hic nec audi-
endus est Gothofredus in notis ad d. L. si Pater. 4. C. de hered.
inst. qui verbum, auferendum, negat de fisco intelligendum
esse, sed hereditatem ab heredibus institutis occupandam
statuit, ex L. cum tabulis 16. de his que ut indign. quæ tamen
plane ad rem non pertinet, & perperam à Gothofredo intel-
lecta, certè inducta est. Nam ibi ipsis heredibus institutis
aufertur hereditas, quia dixerant filium impuberem in se-
cundis tabulis scriptum, esse supposititium; sed in probatione
defecerant & victi erant, : Pars autem illa procul dubio ca-
dit in fiscum *L. 9. in fin. d. t. De his que ut indign. ubi Cujac. in
Papin: ad d. L. 16. Cave pro Gothofredo adduxeris L. Nec
apud***

apud 7. C. de hered. inst. Nam ut rectè ad eam notavit Cujac. Magna est inter utrumque casum differentia: Siquidem non eadem indignitas est in adoptivo fratre, quæ est in filio supposito: quod autem fiscus aufert, ut indigno aufert, *conf. Bachov. 2. Disp. Trentl. XI. Th. 3. lit. B.*

18. Notat Salyc. ex hoc textu (1.) Oportere nos pro *Connota.* quæstionis decisione (sive ut controversias ex Testamento ortas rectè definiamus) de voluntate defuncti quærere vel disputare: *qua de re sup. in rat. decid. dictum.* Notat idem Salyc (2.) quod vulgaris substitutio ad duos casus referatur; nempe si nolit vel nõ possit heres esse: Hoc est: vulgare claus. substitutionis, si heres non erit, duos casus generales continere: Si hereditatem adire noluerit vel non potuerit. Dissentit quadantenus Gilken in Comment. ad hanc l. 3. n. 13. arbitratus id axioma non satis evidenter ex hac lege probari. Notat idem Salyc: (3.) Quod substitutio Vulgaris, à testatore conditionem instituti sciente, facta, hunc sensum habeat: si heres non eris vel alium heredem non feceris *L. si Pater 40. ff. h. r. §. ult. l. de Vulg. subst.*

Non omittendum fuerat (4.) singulare illud paradoxum, quod Imp. in hac lege conceptis verbis proponit: posse servum, quamvis jubente domino, nolle adire. De cujus sententiæ intellectu & temperamento sub finem dicemus. Cætera enim alibi quoq; occurrence consuetaria & *πρόσωπα* brevitatis studio hic omittimus.

19. Extremo loco Doctores *Ἐναντιοφάνεις* solent *Objicio.* colligere & auditoria his exercere: Ubi sanè præter rem afferri videtur à Cujac: & aliis *d. §. ult. l. de vulg: & pup: subst:* Siquidem species illa planè ab hac diversæ est: Hic enim (1.) instituens seu Testator est miles *in §. ult.*, paganus (2.) Hic institu-

C

institu-

instituitur Julianus *ut libertus*. Ibi servus planè alienus, ut liber.
 (3.) Instituitur autem expressè *sub gemina hac clausula*, si hereditatem adire noluerit vel non potuerit, Cæterum in §. ult. Testator generalem clausulam usurpavit: Si heres non erit, (4.) Differunt etiam hi casus *ratione eventus*: Nam in hac L. 3. Julianus deprehensus fuit: communis servus esse: Cæterum in §. ult. plane alienus fuit: unde etiam (5.) Notabilis hæc, *ratione Effectus* emergit, differentia, quod de Juliano hic dicitur: *Eum potuisse, quamvis jubente Domino, nolle adire*: Cùm in d. §. ult. simpliciter dicatur: Servum simul atque Dominus jussisset, adisse hereditatem, nec quicquam de potestate repugnandi, & quidem cum effectu excludendi Domini conjuncto, agitur. Quibus & aliis differentiis accuratè consideratis, beneficio Exercitationis Analyticæ patebit cuivis intelligenti, Nequaquam concedendum esse Cujacio, Donello & aliis, quod etiam in specie hujus L. 3. distinctio d. §. ult. possit adhiberi. Non est enim privatorum diversis factis, easdem decisiones pro lubitu accommodare, cùm talis interpretatio vim Legislationis habeat *L. ult. C. de LL. junq. L. Neseinius 34. & ibi not. De negot. gest. Si n. temerarium est, quod Donellus ad d. L. 3. n. 4. contra Cujacium asseverat, receptam textuum lectionem mutare, maxime cùm mutatio ea nullo teste, nulloque Authore probetur conf. Gilken. ad d. L. 3. n. 10. & §. quamvis. Quanto magis temerarium videbitur, aliam planè decisionem manifestæ Juris Constitutioni supponere, & Domino dimidiam hereditatem privatâ autoritate abjudicare dicam, an surripere? V. L. In his que 16. De Condit. & Demonstr.*

20. Objicitur ab aliis eodem pertinens L. Si Paterfam. 40. in fin. de hered. instit. ubi Dominus servi & substitu-

tus

tus hereditatē itid inter se dividunt. Missis Variis Veterum explanationibus, quas inter alios collegit Gilken. *ad h. L. 3. n. 1.* Repetimus quod modo *ad d. §. ult. l. de vulg. & pupill. substic.* diximus. Consideratis enim tot differentiis nemo amplius mirari diversitatem responsionis & decisionis poterit. *uti in simili scribit ipse Cujac. ad lib. 8. Responsor. Papin. ad l. 57. §. cum ita. Ad. So. Trebell. p. 372. lit. a. ibi: si non utroque loco vertatur eadem species, Mirum non est, si nec utriusque sit eadem definitio, sed diversa.* Maxime cum mediatio illa sive moderatio juris obscuri, ex mero principis placito originem sumserit, *d. §. ultim. & L. 41. de hered. institut. ibi: Et hoc Tibertius Cæsar in persona Patthenii servi sui constituit: utique contentiosis minus satisfaciet responsio Ant. Perez. in prelect. C. ad h. t. num. 4. qui ait in L. 3. C. de hered. inst. casus duos certos proponi, At in d. L. 40. esse dubiam & incertam Testatoris mentem: Nam (1.) ut ostendimus, Tria sunt hujus distinctionis membra; non duo tantum, (2.) ipse Imperator dicit in d. L. 3. contineri voluntatis quæstionem, quod satis innuit, Etiam hoc casu dubiam videri Testatoris sententiam arg. L. voluntatis 7. C. de fideicommiss. junctâ L. rapienda 168. §. Quod factum est. de Reg. Jur. L. ex Verbis 14. ibi voluntatis non Juris quæstionem C. de donat. inter Vir. & Vxor. L. illud 13. §. 1. ibi: voluntatis quæstio ex eo scripto plerumque declarabitur. de jure Codicill. L. 41. §. qui Patrem 5. De vulg. & pupill. subst. cum simil.*

21. Opponit Idem Cujac. L. Neque 13. §. si servum de milit. testam. Sed iterum simpliciter dicendum est, casus itidem esse diversissimos, siquidem ibi miles (1.) non servum communem; sed proprium, heredem instituit. Et quidem (2.) non ut liberum vel cum libertate, sed sine libertate (3)

C 2

credi-

credidit autem illum servum suum proprium, esse liberum hominem: itaque merito institutio tota, velut ex errore profecta, inutilis pronunciatur.

22. Fortior obiectio peti poterat ex Decisione iuris Veteris quæ à Justiniano refertur in *L. I. C. de Commun. serv. manum.* Quod nimirum (1.) Imperator Septimius Severus in hoc casu sic definiverit, Licet olim pars servi manumissi Domino accresceret *§. ult. 1. de donat.* Quia tamen iniquum videbatur, servum libertate fraudare & severiori Domino lucrum accedere, Imperatori Severo primum aliud placuerit. Si enim miles aliquis cum alio servum communem habuerit, eumque manumiserit testamento: constituit Imperator Severus ut militis heredes cogerentur partem socii comparare, ut ita servus plenam libertatem consequeretur. Postea idem Imperator cum filio Anton. Caracalla (hoc beneficium ampliando) rescripsit, omnem socium, sive is miles sive paganus sit, cogi, partem suam vendere ut servus libertatem consequatur *fac. L. aliena 31. §. 1. de fideicom. libert. L. duobus 30. de liberali causa.* Jam Julianus est manumissus à milite & simul heres institutus. E. si Zoilo partem ex hereditaria vel alia pecunia solverit, liber erit & heres in solidum.

23. Idem quidem definiebatur eo casu, quo testator certo sciverat servum esse communem, Tum enim ne elusoria fieret Testatoris Voluntas & servus non fieret liber, heredes coacti fuerunt partem socii comparare: At hic testator Julianum inter vivos manumisit, Incertum autem est, quâ mente substitutionem fecerit: Ergo res aliter venit determinanda: Et Zoilus hic justam se opponendi causam habet, ne una cum servo amittat tam luculentam hereditatem, *fac. L. Verum*

Vetus est 63, §. si seruo 9. ff. pro socio. L. Plautus 49. ad L. Falcid. Paul. 3. sent. 4.

23. Quæritur etiam quomodo Julianus, jam servus declaratus, potuerit nolle hereditatem adire: cum ejus tantum sit nolle, cujus sit velle L. 3. §. 4. de R. I. Item nolle hereditatem cum non videri, seu de eo dici non posse, qui non potest adire. L. Nolle 3. de acquir. vel omitt. hered. Ratio indicatur in L. qui in alieno 6. eod. tit. Quia alias Dominus invitus ærialieno obligaretur. add. L. 25. §. 4. Eod. Unde etiam à Domino vel immediate vel mediate compelli servum posse innuitur in l. 1. §. Quid ergò. 3. Si quis omiffa causa testamenti:

24. Extat apud Plautum jactatio servilis in Casina [seu ut Pareus invertit Caniffa. act. 1. 2. scen. 5. vs. 6. 7. 8.] ubi servus ad Uxorem Domini & filium.

Quid fitu nolis, filiusque etiam tuus,

Vobis invitis, atque amborum Ingratis

Unâ libellâ liber ego possum fieri.

Qui Cujacii opus Metadromum ediderunt, Guerinus & Colimbetus, imo ipse etiam A. Fabrottus, Cujacium in Papin, libr. 27. quæst. ad L. Cum servus 54. Mandati. ita loquentem introduxerunt, quasi Plauti versum hoc modo referat.

Vobis invitis atque Ingratis unâ litterâ liber fieri possum. Sed repugnat ipsa Cujacii explicatio, quando hanc paraphrasin illicò subjicit, se exiguo pretio posse libertatem promereri. Sic enim & Taubmanus & Pareus & cæteri ad Plautum notant: per libellam ibi intelligi argenti assem aut nummum minimum: Quo dicendi ge-

C 3

nerere

nere Plautus etiam alibi utitur p. in *Captiv: act. 5. scen. 1. vs. 27.* & in *Pseudol. act. 1. scen. 1. vs. 96.*

24, Ad hoc dubium respondet Cujac. in *sep. citat. Comment ad hanc L. 3.* nimis generaliter, posse servum, cui datus est substitutus vulgari modo, quamvis jubente Domino nolle adire per *L. Cùm aliquis. pen. C. de J. delib.* Sicut etiam filiusfam. heres institutus: quando ipsi substitutus datus est, etiam si Pater jubeat; tamen possit nolle seu detrectare hereditatem adire *L. filiam. 16. de aur. & arg. legat.*

25. Eniñ verò durior aut difficilior accidere cuiplã posset hæc responsio, nisi ita declaretur: Discernendũ esse, Vtrũ institutio facta fuerit à testatore cũ aliquo respectu & reflexione ad dominum, ut eum voluntas Domini præcedere etiã debeat *L. si quis mihi bona 25. §. jussum. de acquir. hered.* An vero institutio concepta sit præcisè in persona servi. s. solius Instituti affectione, amore & contemplatione. cujus hoc casu Voluntas idèò requirenda sit, ne penitus iudicium defuncti contemnamus, Ita hanc *L. 3.* accipit Christoph. Sturcius in *Comm. ad L. 3. de R. I. p. 31. n. 22.* Quem tamen porro non sequimur, cùm ait: compelli tamen posse institutum servum ut adeat, vel à Domino *d. L. 1. §. quid ergò. 3. si quis omis. caus. testam.* vel à iudice *L. pen. C. de iure delib.* Quomodo & Gifan. jam antea in *Comment. ad L. 3. & 4. de R. I. p. 25. n. 5.* hanc *L. 3.* exposuit, servum scil. etiam qui jubente Domino adit, dissentire, adeoque nolle videri, quia nisi cogeretur non faceret. Cùm enim in hac *L. 3.* dicatur Juliano adire renuente, substituto locum fieri, apparet Imperatorẽ non de nuda repugnantia facti, sed cum effectu juris insigni conjuncta; privandi sc. Dominũ hereditate, agi: Et servi voluntatem planè liberã & incoactam præsupponi. Quid n. aliàs opus fu-

pus fuisset ista distinctione cum planius dici potuisset: Tū demum substitutioni locum fieri, si servus adire à Domino vel Judice non fuerit compulsus.

26. Itaque malum arbitrari: Esse aliquid in hac specie peculiare, ubi *(1) Servus communis institutus fuit & quidem ut liberus*, qui ideò controversiam Domino de statu & manumissione fecerit, aut facere voluerit atque potuerit *L. pen. C. de jure delib. ibi, Veteres in multas trahuntur sententias. & ibi: si servus quasi liber institutus est, tunc nullo compelli modo eum adire hereditatem juncit. L. 1. C. de Commun. serv. manumiss. conf. l. Sed si conditioni. 6. §. si servum. de hered. instit. (2.)* maximè quod testator disertè in solam ipsius voluntatem id contulerit & adjecerit: Si heres esse noluerit, tum Vitalem, non v. fratrem substitutum esse debere. Voluisse autem non posse dici, qui coactus adierit. *l. Qui in aliena 6. §. Celsus. 7. de acquir. vel omitt. hered. §. pen. Inst. Per quas person. cuique acquir. conf. Hellig. lib. 7. D. E. 8. lit. B.* Planè dispar causa est speciei *l. 1. §. 3. Si quis omisa causa testamenti:* quam Gilkenius h. n. 14, Alique vulgò objiciunt. Coactio enim illa à Prætorè interponitur in casu illo peculiari, quo quis callidè recusat adire hereditatem ex testamento & eandem ab Intestato adire vult, eo fine, ut eos circumventat, quibus quid ex testamento debetur. Huic autem calliditati meritò prætor occurrit. At hic coactio talis cederet contra judicium defuncti: Itaque prætor non æque ad coactionem istam moveri debet. Ibi voluntas defuncti everteretur si prætor heredem non cogeret: Hic everteretur, si cogeret.

COROL-

COROLLARIA.

1. Politico - Historicum.

An Romani, Plinii temporibus, consultò an-
 verò per inadvertentiam à Veterum gravi-
 tate in consultationibus recesserint? Plinii ver-
 ba ita habent libr. 3. Epist. 20. Non tempus
 loquendi, non tacendi modestia, non denique se-
 dendì dignitas custodiebatur: Magni undique
 dissensus, clamores. &c. Adeo desciveramus à
 consuetudine Parentum, apud quos omnia
 disposita, moderata, tranquilla, Majestatem lo-
 cipudoremque retinebant. &c. Responsio la-
 tet in verbo desciveramus, quo vitium ^{αὐτῶν}
^{μικρὸν} omnibus actibus, imò ipsi statui Reip. in-
 ternecinum videtur subinnui.

2. Aulico - Politicum.

Q. Angenuina & solida sint rationes
 promerendi vel conservandi favoris Domini,
 (Nervele 10. histor. p. 256. appellat. L'art d'
 acquérir. les cœurs) quas Sirius ut Principa-
 les &

*les & ordinarias laudat, tom. 2. histor. sui
 temp. l. 2. p. 567. (1.) Parlare al gusto del Prin-
 cipe (2.) Applaudere à tutto quello ch' ei dice
 (3.) Ammirare quanto fa (4.) approvare con-
 somme lodi quanto ei vede? Arbitramur hæc
 talia artificia placere tantum posse Dominis,
 qui specie virtutis delectantur, & umbrâ potius
 quam corpore; nec durare gratiã his artibus qua-
 sitam. Lõge aliis modis Magnatum gratiã qua-
 siverunt & adepti sunt pii Aulici, Nẽpe vera pi-
 etatis & reliquarum virtutum studio, ut osten-
 sum est in Amatorio part. 1. & generali. Deus
 enim piorum Principum animos piis aulicis cõ-
 ciliat Dan. 1. vers. 9. Tob. ult. vers. ult. ibi. und
 all sein Geschlecht blieb in heiligem Wandel und Les-
 ben also / daß sie angenehme waren vor Gott und
 den Leuthen u. Congruit locus Exod. XI. v. 3.
 & cap. 12. v. 36. Ecclesiast. c. 6. v. 12. Wer ein
 treu Herz und liebliche Rede hat / des Freund ist der
 König. Salom. in pro-verb. c. 22. v. 11. & ult. Wer
 der Gerechtigkeit nachjaget der würd geliebet. Idem
 cap. 15. vers. 9. Agnovit id etiam Author Cõ-
 ment. qui inscribitur, L' Advertissement à
 Monsieur de Luynes a son avancement en fa-
 veur*



veur auprès du Roy, apres la mort du Mareschal
d'Ancre. ibi. Le Roy n'en est que l'instrument,
puisq; par luy les Rois regnent & qu'il tient, leur
cœur en sa main, les penchant ou il luy plaist. Il a
porté celuy du Roy à vous aimer & vous à pre-
feré pour vostre bon naturel à tant d'autres qui
nestoient qu'en apparence plus accomplis que
vous. Add. le Contadin provençal p. 1. Lips.
libr. 3. polit. 9. in not. Piccart. decad. 5. obs. 1.
Amirat. libr. 5. c. 1.

3. Aulico-Tacticum,

Q. An princeps, eum quem semel introdu-
xerit in consilium hoc Elogio: Accioche il mio
caro Amico (con queste espressione affettuosa
chiamando Monsieur il Grande) possa un gior-
no servirmi, stimo dicevole, che per tempo sin-
struisca de gli affari del mio consiglio v. Sirium
d. tom. 2. libr. 1 p. 563. possit salva majestate &
status ratione iterum excludere, ob solam hanc
causam ab emulo allegatam, quod probrosum
Principi futurum sit hominem juniorem secre-
tis adhibere consiliis? Negavit id in causa simili
Philippus III. ap. P. Mattheum libr. 12. narrat.
2. n. 13. conducit. L. 3. C. de Crim. sacrileg.

F I N I S.

99 A 6924


ULB Halle 3
002 636 603



52

V 17







no. 23

SPECIMEN JURISPRUDENTIÆ ANALYTICÆ

ad intellectum L. 3. C. de hered. instit. & quæ personæ heredes
institui non possunt,

directum

QUOD

Divinâ Favente Gratiâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI.

*Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, &
Consultissimi,*

DN. JOH. OTTONIS TABORIS
JCTI. SERENISSIMI PRINCIPIS HASSO-
DARMSTADINI, CONSILIARII. INCLYTÆ UNIVERSITATIS
LUDOVICIANÆ CANCELLARII EMINENTISSIMI
& PROFESSORIS PRIMARII, Dn. Patroni Promotoris ac Præceptoris
æterno venerationis cultu prosequendi

Publicè examinandum suscipit

WEIPERTUS LUDOVICUS FABRICIUS

HASSUS.

A Diem Januar.



GIESSÆ HASSORVM,

Typis FRIEDERICI KARGERI & CASPARIS VULPIL.

ANNO M.DC.LXII.